

BIBLIOTHECÆ
MANUALIS
CONCIONATORIÆ

APPENDIX

SIVE TITULUS PECULIARIS

VARIAS MEMORATU DIGNAS COMPLECTENS HISTORIAS

PROŒMIUM.

Cum magnam partem hujus Bibliothecæ historiarum narratio sibi vindicet, earumque fructum, et utilitatem ipsa experientia testetur; visum est operæ pretium fore, si pauca quedam de hac ipsa utilitate præmittantur, ad majorem huic titulo æstimationem conciliandum. Deinde, cum passim variae, exque satis memorabiles historiae, ab auctoribus referantur, quæ vel ad reliquos alphabeti titulos commode referri non possunt, vel si potuissent, tardius obviam factæ sunt, cum interim libro huic coronis imponeretur a typographo, etiam ista appendicis loco breviter hic recensere operæ pretium duxi, ita tamen, ut, quo facilius sit earum usus, accurata illarum in indice libri hujus universalis fiat mentio. Denique vero, ut de ipsarum etiam auctoritate, et qualitate constet, brevis indiculus notiorum auctorum cum eorum elogio adjicietur.

DE ESSENTIA, UTILITATE, ET DIGNITATE HISTORIÆ.

Primo itaque faciendum est, historiam in genere recte defini, veram rerum gestarum expositionem. Unde et imago veritatis dicitur, ut significetur, primariam historiae proprietatem esse ipsam veritatem, sine qua historiae nomen obtinere non potest.

Dividitur autem communiter in historiam simplicem, qua unum tantum factum enumeratur, et multiplicem, quæ plura eodem libro facta enumerat; et, si quidem annorum ordinem observet, annalium nomen sortitur; si vero dierum ordinem observet, diarium, seu ephemeris appellatur. Alii historiam in communi in quatuor species dividunt: vel enim de varietate locorum agit, eorumque

originem, situm, prærogativas exponit, et hæc geographia vocatur; vel tempora, quibus res quælibet gestæ fuerunt, enarrat, et hæc chronologia appellatur; vel generationem, et successiorem integrarum familiarum proponit, et hæc genealogia nominatur; vel denique nuda facta absque respectu speciali locorum, temporum, familiarum, enarrat, et hæc nomen historiæ velut proprium sibi retinet.

Porro ad utilitatem historiæ quod attinet, ut semper maxima auctoribus est visa, ut pote continens sequentes fructus. Et primo quidem conducit ad Deum glorificandum, quem in finem Christus dixit *Matth. V.* Apostolis: Vos estis lux mundi; sic ergo luceat lux vestra (et exempla bona) coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.

Secundo, conducit ad sanctos optimo cultu honorandos; nam, teste S. Augustino, summa religio est imitari, quod colimus. Cui etiam S. Ildephonsus ad stipulatus, dicens: « Imitamini Matrem Virginem, et Sanctos omnes, quos laudatis, quoniam non tantum illis prodest nostra laudatio, quam nobis eorum imitatio. Unde sponso magis placet imitator devotus, quam laudator otiosus: tamen vera laudatio cordis imitatio est operis. » S. Ildeph. ser. 4. de Assumpt. Et S. Hieronymus: « Igitur, dilectissimi, amate Mariam, quam colitis: colite, quam amatis; quia tunc vere colitis, et amatis, si imitari velitis ex toto corde, quam amatis. » S. Hieron. serm. de Assumpt.

Tertio, conducit ad virtutes exercendas, et vitia declinanda, uti sapienter advertit Erasmus dicens: « Nullis ex libris plus utilitatis capi potest, quam ex eorum monumentis, qui res publicæ privatique gestas bona fide posteris prodiderunt. Ex bonæ enim fidei scriptoribus super alias innumeras hæc præcipue captur utilitas, quod bonorum regum animos ad res cum laude gerendas accendit: vel Tyrannorum cupiditates cohibet, ac refrenat, dum utrique cernunt horum litteris suam vitam omnem, mox in totius orbis, imo sæculorum omnium theatrum producendam. Et quicquid in abdito nunc vel celant, vel adscito fuce prætexunt, vel metu dissimulari cogunt, verius quam ignorari; paulo post clarissima in luce sub oculis omnium traducendum, quam jam metu pariter, ac spe libera posteritas, ex illo corrupta studio, magno consensu recte factis applaudit, parique li-

bertate his diversa explodet, exhibebitque. » ERASM. in præfat. in Sent.

Quarto, conducit ad prudentiam acquirendam; uti recte Diodorus Siculus indicavit dicens: « Nihil utilius, jucundiusque cogitari potest, quam in humanæ vite theatro, quod historiæ partibus omnibus mire instructam habet, sedentem, periculis avorum, sine suo periculo cautum, sapientemque fieri: exemplum capere omnigena, quæ ad usum tum utiliter qualibet in re traducas. Cumque maximorum hominum de summis rebus maximis consiliis interfueris, id quod cupidissime homines avemus, eorumdem etiam eventibus interesse, et quod per angustiam vite hominum impossibile fit alioqui, sæcula tota memoria conjungere: maximorum imperiorum auspicia, progressus, et finem videre: malorum seu privatorum, seu publicorum causas liquide cognoscere, in omni ardua, magnaque re, qui ante te periclitatur, qui in discrimine te præcedat, habere: nec usquam experimento certo desitui, ac ut in summam efferretur actus (quod proprium sapientis viri officium est) futura scienter in omnes eventus perspicere, presentia judicare. » DIOD. SICUL. in præf. Vit. Pil. Alex. Et censit Plinius dicens: « Historiæ utilitas est magna. Hæc enim felicitatem nobis participat, et citra ullum documentum prodest homini. Quid enim pulchrius, quam, non, quod alii egerint, querere, sed quid optime actum sit, nobis proponere ac imitandum? Seniorum concilia, quos longa ætas prudentiores efficit, laudantur a junioribus: at hos tanto antecellit historiæ, quanto plura exempla complectitur diuturnitatis temporis, quam hominis ætas. Præterea juniores historica lectio antiquioribus æquat prudentia. Adde quod natu majoribus rerum experimenta subministrat, privatos viros imperio dignos efficit, Imperatores ob immortalæ gloriam ad præclara facinora impellit: et, ut in summa dicam, omnium rerum species, quibus hominis felicitas paratur, tribui historiæ debet: est enim custos eorum, quæ cum virtute acta sunt, testem se malefactoris præbens. PL. I. VIII. de Lucernæ.

Quinto, conducit ad humilitatem exercendam, uti S. Gregorius sapienter notavit dicens: « Fit plerumque in audientis animo duplex adiutorium in exemplis Patrum, puta amore venturæ vite ex præcedentium comparatione accenditur, et si se aliquid esse existimat, dum meliora de aliis cognoverit,

humiliatur. » S. GREG., I. I. Dial. in præf. Hinc S. Antonius a S. Paulo revertens dixit: « Heu me miserum peccatorem, qui non nisi umbra sum Monachi, et falso Religiosi nomine glorior. Vidi Eliam, vidi Jo. Baptistam in deserto, cum vidi Paulum in Paradiso. » S. Hieron. in vita S. Pauli. Erem.

Sexto, conducit ad animos efficacius movendos; nam teste S. Chrys. « Multo fidelior, et certior est doctrina operum, quam sermo. Nam qui talis est, etiam silens, et cum non videtur, docere potest; et alios quidem, qui illum vident; alios vero qui de illo audiunt, et multa fruuntur, Dei gratia, non tantum propter se, sed etiam propter alios; qui illum vident, et incitantur, ut glorificent Dominum. Talis per mille linguas, et multo plures, gratias fert; et laudes Deo. » S. CHRYS. hom. xxi. ad pop. Hinc S. Laurent. Just. dicit: « Dabis voci tue vocem virtutis, si quod suades, tibi prius persuasisse cognoscaris; validior operis, quam ovis vox est, fac, ut loqueris. » Unde Petrus Faber verba dividebat verborum, verba cogitationum, et verba factorum, ac per hæc, exempla intelligebat, quæ cæteris essent multo efficaciora ad persuadendum. S. LAUR. JUSTIN., de Conflict. int. Lanc. opusc. xii. n. 384.

Septimo conducit ad proximum in odorem virtutis trahendum; uti S. Gregorius insinuat, dicens: « Volantia animalia se vicissim feriunt alis, quia sanctorum mentes in eo, quod superna appetunt, consideratis invicem alternis virtutibus, excitantur; ala enim sua me percussit, qui exemplo ad sanctitatem me melius accendit, et ala mea vicinum animal ferio, si aliquando alteri opus bonum, quod imitetur, ostendo. » S. GREG. hom. xxxiv. mor. Et confirmans id ipsum S. Bern. qui super illa verba: Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum, etc., pulchre sic discurrit: « O pulchra, o felix, o beata, edisserere nobis hujus distinctionis rationem. Trahe me, ais, quare me, et non nos? An hoc bonum invides nobis? Absit; neque enim profinus dixisses, adolescentulas esse tecum cursuras, si sola post sponsum ire voluisses. Cur ergo pluraliter mox subjunctura curremus, trahi te singulariter postulas? Non curram ego sola, et si solam me trahi peterim, current et adolescentule mecum. Curremus pariter, curremus simul, ego odore unguentorum tuorum, illæ meo excitatæ exemplo, et hortatu. » S. BERN. s. xxi. in Cant.

Octavo, conducit ad virtutis studium faci-

litandum, cujus rationem S. Greg. assignat, dicens: « Illa vox auditorum corda libentius penetrat, quam dicentis vita commendat, quia, quod loquendo imperat, ostendendo adjuvat, ut fiat. Non enim difficile æstimatur, quod jam factum conspiciatur. » S. GREG. p. 2. part. I. 3. Propterea, ut vult S. Chrysostomus: « Sanctorum vitas, et conversationem in divinis Scripturis præscriptam Spiritus Sancti gratia reliquit, ut discentes, quod licet ejusdem fuerint nature, virtutibus tamen studuerint, ne simus nos ignavi, et desides in iisdem exercitiis. » S. CHRYS. se. xi. sup. Gen. Hinc S. Augustinus de se ipso fassus est: « Exemplar servorum tuorum, quos de nigris lucidos, et de mortuis vivos feceras, congesta in finem cogitationis nostræ urebant, et absument gravem torporem, ne in ima vergeremus, et accendebant nos valde. » S. AUG. I. I. Conf. c. 2. Ut adeo merito dixerit Thomas Kempensis: « Etsi onerosa sit præsens vita, facta est tamen jam per gratiam tuam valde meritoria; atque exemplo tuo, et Sanctorum tuorum vestigiis, infirmis tolerabilior, et charior. » THOM. KEMP. I. III. c. xviii. §. II.

Nono, conducit ad animum et corpus recreandum; nam, ut S. Ambrosius recte advertit: « Est insitum nobis, ut castum pudicum, sapientem prudentem, misericordem liberalem affectu pio diligat, et virtutes suas in aliis amet. In plerisque justis aspectus admonitio correctionis est, perfectionibus lætitia est. » S. AMBR. sup. Psal. Beati immacul. Et de Alphonsi rege Aragoniæ scribitur, quod Capus laborans adversa valetudine, medicis multa medicamenta adhibentibus, in gravissimo morbo, Quinti Curtii historias de Alexandri Magni rebus gestis scriptas legere cœperit, cujus lectione delectatus, cum omnem morbi improbitatem superasset, sanitati restitutus: « Valeat, inquit, Avicenna, valeat Hippocrates, et alii medici, et vivat Christus restitutor sanitatis mee. » JENAS SYLV. de dictis Alphon.

Decimo, conducit ad fideles monitores procurandos; uti Demetrius Valerius indicavit, qui Ptolomæum adhortari solebat, ut sibi pararet libros de regno, deque militari imperio gerendo tractantes, eosque evolveret. Propterea quod ea, de quibus amici non audent admonere reges, in libris scripta habeantur. LAER. lib. II. c. v.

MEMORABILES HISTORIÆ.

In communibus titulis non contentæ, tumultuarie exhibitæ.

Dammum voti non servati.

Quidam S. Benedicti Monachus, cum multis precibus impetrasset, ut discedere ex monasterio posset, vix monasterium egressus, draconem aperto sibi ore insidiantem conspexit. Quare magnis clamoribus Fratrum auxilium invocans, ab iisdem accurantibus, sed nihil videntibus, tremens, ac palpitans ad monasterium reductus est. S. CÆCILIÆ. II. dial. c. xxv.

Utilitas voti.

Cum Christus aliquando Sancto Francisco apparuisset, atque, ut trinam ipse oblationem faceret, præcepisset, Franciscus autem, se nihil amplius habere respondisset, jussus est manum in unum inferre, et quod ibi inventurus esset, offerre. Quod cum ille fecisset, prima, secunda, et tertia vice nummum aureum bene grandem qualem nunquam vidisse se meminerat, invenit, quibus tria religiosa vota significari intelligebat; quæ ipse fatebatur tam perfecte se obtulisse, ut nihil circa eorum observationem propria ipsam conscientia redarguerit. ROHR. p. 3. sr. 3. c. 1.

Votum servatum.

Rex Asa, cujus cor erat perfectum, teste Scriptura, cunctis diebus ejus, ea quæ volebat pater suus, et ipse intulit in domum Domini, argentum, et aurum, vasorumque diversam suppellectilem. II. PARAL. xv. §. 18.

Cum esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum flens largiter, et votum vovit dicens: « Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, et recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque servæ tuæ sexum virilem, dabo cum Domino omnibus diebus vite ejus, et nova-

cula non ascendet super caput ejus. » I. Reg. 4. v. 10.

Obscervantia fatalis.

Franciscus Calendonius jam vir, et jurisprudentiæ fama, ac celebritate in patria princeps, et conjuge, ac prole auctus, nullam tamen sibi abire diem voluit, quin ad Honestæ Barilliæ parentis genua accedens eam sibi bene precari postularet, ac si materna quadam senectute illa moras neceret, nihilominus modestissime perseveraret. Quod si quacumque demum de causa id domi sub vesperam exequi non potuisset, ubicumque sequenti die matrem obviam habuisset, vel in ipso foro officium reponebat. Quod enim erubesceret naturæ jura sarta tecta eximpluere, qui Cæsari juris celerimus esset interpretis: nulla interpretandi nobilitas est ratio, quam facto exequi. Jo. RON. var. his. l. IV, c. iv. n. 11.

Angelus per tres nuntios de morte monens.

Prænobilis adolescens supra mortales curas se attollens, humana paulatim contemnere, seriisque studiis ad æterna tendere accepit: scilicet angebat hic animus metus, ne morti quondam, signa improvisè raperetur, imparatus, inermisque occurreret. Eam ob rem assiduas preces, vel certe suspiria crebra funditabat, quibus unum hunc favorem a superis oblandiretur, ut divinitus moneretur, et insidiantem a tergo mortem tempestive expectare posset. Illec tam pia postulata a Deo impetravit, et Genium suum tutelarem in conspectum habuit, qui asservavit e vita prius non abiturum, quam nuntiis a se præmissis monitus, accingi supremo itineri plus triduo posset. Hoc nuntio accepto, non opprimendum incautum, cepit se ludicris dare, ubique relinquens signa letitiæ: ac tandem per abrupta vitiorum præceps, in deterrimum repente evasit; nec jam parentes, non propinqui, non magistratus valuerunt a vitæ licentiæ revocare, quibus hoc unum ut clypeum objiciebat: « Prius ego, quam mors occupet, respiciam. » Evenit, ut iter illi in vicinum oppidum esset, in quo itinera e saltu latrones in hominem involant, per quorum micantes gladios, sub-

ditis equo calcantibus non sine vulnere in tutum anhelans astuansque se subducit. En primum mortis nuntium quem in hac tanta mortis vicinia nec respexit invenientem, nec audivit increpantem. Sed condono hunc tibi stuporem. Mox alterum (quæ facilitas) monitorem labelebis. Vix dum vulnus in cicatrice coierat, cum efferatæ mentis adolescens navi consensa, more suo, sudo, liquidoque celo ingreditur; in altum provectos tempestas excipit; alii clamare, manus tendere, scelerum veniam rogare, vitæque mutationem spondere. Solus hic noster, quamvis palleret vultu, animo tamen obstinato, nec salutis anxius, nec scelerum memor perstabat. Interea deservit tempestas, sic tamen ut hæc maris rabies, momentis satis vices egerit. His periculis perfunctus, non multo temporis intervallo post acutos capitis viscerumque cruciatu, febris hominem adortu, quæ paucis diebus ita confecit, ut pro deposito conclamaretur. Medici, parentes, propinqui, confessarius de præsentis discrimine commoneo; urgere lacrymis, precibus, consiliis mature curam salutis suscipiat. Durat, et perstat adolescens stolidus nuntium expectare, qui mortem jam dudum in visceribus grassantem nuntiaret, cum ecce illi adest tutelaris Genius, ut errorem animo excuteret, quasi nullum monitorem habuisset. Quem ut ager agnovit, auditique, vis breve momentum superesse, perturbatus cepit expostulare, ut qui præmissis triduo ante nuntius monitum iri se crederet: cui tranquille Angelus, quam fideliter pactis steterit, quam tempestive monuerit, quos nuntios submisserit, exponit: « Cum nuperrime per latronum sicas, et paulo post in mari per naufragia, ac tandem per morbum suo judicio, ac judicio medicorum lethalem moneri feci, annon hoc triduum est? Præterea medicos instigavi, qui mortem indicarent, contempsisti: parentes subordinavi, qui monerent, rejecisti: curionem legavi, qui suaderet, exclusisti: et tamen nuntios ad te meos venisse negas: et adhuc fidem, quam frugerim incensus? Secundum hæc verba ex oculis evanuit, et adolescens cum quod acciderat, circumstantibus agrè recensuisset, infelix animam exhalavit. S. ANTONII. p. II. summa tit. 9.

Sponsus ipso nuptiarum die occisus.

Accipit, ut moris est, perhilaria ante ci-

neralia Parisiis, ab hinc annis duodecim, regali luxu nuptias celebrari, in æde viri prænobilis, qui puellam duxerat, quam plures proci deperierant. Hi indignati sibi prædam creptam, funestam plang tragœdiam adornant, mensis remotis, omnes larvati histrionum in morem subintrant: sponsum astu, in vicinum cubiculum sevocatam strangulant, a vestibus continuo exutum, aliisque mortuariis indutum, ac larva personatum, in convivantium cœtum, humeris suis inferunt: salumque funebrem exorsi, mire omnes oblectant, dum tandem signo dato, avolant, et se curo ocius ex ædibus precipiunt, relicto super pavimento, ut putabatur, socio larvato, qui mortui partes egerat. Hunc, jam cæteris dilapsis, convivæ trudent, vellunt, ut assurgeret; ad hæc omnia immoto, sponsa sorte larvam detrahit: et eo ludum insolentem! o ferale nuptias! ecce sponsus, verum funus exhibitur, comperitque, a lavernionibus, ob sponsam sibi præreptam, morte crudelissima provocatum, et omnibus ostentui, ac ludibrio expostum fuisse. EXCELSÆ. p. II. Luc. Evang. Dominic. Quinq. §. 1.

Mira puella lascivæ metamorphosis.

Romæ puella fuit Catharina nomine, a formæ venustate Pulchra cognomine, sed famæ prostituta, ad quam omnis juvenus confluebat: dum vespere quodam speciosum præ cæteris ad se juvenem divertentem conspexit, quem, dum cœna (ut conditio postulare videbatur) satis dapsili exciperet, mirum ecce obtentum: quodvis ut mense inferebatur ferculum, sanguine largo aspersum apparuit. Quo prodigio adeo illa non perculsa, ut mensis remotis, cum in penitus cubile deductum, ad flagitium pellicere ausa fuerit: non invitus successit; ad istie loci, de repente (o inauditam metamorphosim!) speciosus forma præ filiis hominum, toto corpore vulneribus saucium, et plagis lividum sponsus sanguinis se exhibere totaque ora, quot vulnera visus pandere, quibus illa hujus tam diræ laniæ causam arguere, benignissime tamen ad veniam invitare non destitit. Erubuit ad hæc Catharina, et secus exosa, singularem posthac vitæ sanctitatem exorsa est. EZOVITUS. ad ann. 1221. n. 10.

Rara Dei erga peregrinum providentia.

Peregrinus quidam, Chariton nomine, cum Jerosolymam tenderet, latronum insidiis interceptus, in spelæum locum tractus, et cadum dilapsis, Chariton hoc unum agere, Deum divinamque potentiam maximis laudibus extollere, inopinatam illam permissionem secum expendere, ob eamque Patri amatissimo gratias agere, eidemque se impensissime commendare, nec aliquid velle, quam divinam in se voluntatem perfici. Dum hæc animo volvit, serpens e latebra proripit ad scutellam lactis plenam; bibit hinc largius non vocatus hospes; sed pro symbolo, quod ingrati solent, venenum refudit. Ubi latrones in notum cubile redierunt, primum erat, ardentem sitim lactea promulside propitiare: hiberunt liberalius quam serpens, sed ita ut nil hiberent amplius. Nam paulo post concepto intra venas veneno, extincti sunt omnes. Ergo jam Chariton latronum ex asse hæres, et solus infamis latibuli dominus, divinæ providentiæ ardentius quam unquam se commendavit. Nec frustra: vinculis ope divina laxatis, pro miserabili ergastulo, habitaculum reperit opulentum, et pecuniam quidem illic inventam, partim sublevandis egenis, partim monasteriolo condendo adhibuit. Ipsam latrocinantium speciem in templum mutavit; ubi tam Judæi, quam idololatræ Christianis sacris imbuti sunt.

Admiranda usurarii penitentia.

Volco Sacerdos in Francia vir miræ sanctitatis, apud feneratorum cum quibusdam e Clero præsurus, culinam ejus adit, opercula a vasis removet, reperitque omnia ferula in bufones et serpentes abiisse. Movit ea res hominem, ut Volconi supplex, omnia injusto luero parta suis dominis restitueret. Supererat inter hæc vas tritico oppletum, ultimum usuræ spoliū: cujus forte non meminerat: istud Volco presente Clericorum comitatu recludi jussit; et ecce novo portento inter bufones ingentem serpentum copiam offendunt. Mox Sacerdos sanctus divino imperio afflatus ad feneratorum: « Si verus tibi de peccatis dolor est, nudus istud vas ingredi: » nec mora usurarius insilit sta-

timque Volco vase clauso, jussit socios crastina luce reverti. Tum autem remoto operculo nihil præter costas, tibias, calvariam, ac ossium congeriem repererunt: qua causa fuit, ut Volco ossa tamquam veneranda vere penitentis asservari jusserit: *Ubi obsecro quid simile legisti, vidisti, audisti.* EZOVUS ad ann. 4198. n. xxi.

Confessarius cum penitente in infernum præcipitatus.

Degebat in Italia insignis usurarius, qui, cum turpem illum questum dimittere nollet, in penitentiae foro ab urbis Parocho, et nostris Patribus rejectus, in Monachum tandem incidit, qui cæteros acrioris conscientiae, et scrupulose insimulans, hominem toties prohibitum, absolvit: quo ita se usurarii hujus gratiam insinnavit, ut familiarissime se uteretur, et prope in dies mensæ adhiberetur. Accidit, ut liberalius una cenassent, jamque sero vespere vir Religiosus se ad claustrum contulerat: ipse vero vix cubitum se receperat, cum subita morte extinctus est. Atque illico duo ex orco genii, ephæbo ementiti, ad cœnobium convolant, quantocius hunc Monachum a tali viro aciri denuntiant. Ad nuntium hunc ille mirari, mox repentinum morbum forte exortum suspicatus, præeuntes cum socio subsequitur, jamque in forum venerant, dum cernit usurarium hunc, lunæ beneficio, in talari tunica inambulantem: quem non sine stomacho, num se rideat, percuñctatur? Respondet alter alto cum gemitu, se vivis excessisse, æternis pœnis addictum ob usuras, et potissimum ob sacrilegum Sacramentorum usum, in quo cum ipse partem non minimam culpæ habeat, sequi cum corripere debuisset, una secum æternis inferorum suppliciis cruciandum. Quo dicto immani terra hiatu panditur, et hos duos simul cum ephæbis illis tartareis assumpsit, attonito et in mortuum simili socio relicto, qui Superiori omnem actæ rei tragediam enarravit. PÆDAGOG. CHRISTIAN. tit. conf. c. xv.

Ardens patiendi desiderium.

S. Catharina Bononiensis, cujus corpus etiamnum incorruptum Bononiæ visitur, di-

cere solebat: « Deus scit, qui æstus illos amoris ipsemet in corde meo accendit, me sæpius cum lacrymis, et suspiriis, et firma, compartaque ad patiendum voluntate illi supplicasse, ut mihi hanc faceret gratiam, si per meam ad inferos relegationem, et condemnationem honori ejus gloriæque posset aliquid accedere, mihi ipse locum in profundissimo Inferorum recessu præpararet, in quem ego totius orbis, peccatrix maxima, et abominabilissima recludar, et tamquam incus omnium carnificum malleis exposita, tormenta omnia, quæ fuerunt, sunt, et erunt, meo corpore excipiam. Ego ex cordis intimo affectu, et re consultata, verbisque ad trutinam libratis, offero me continuo ad has pœnas subeundas, plus inde tapiens voluptatis, quod inferno exhausto nullæ amplius inde in Deum voces erumpent, et ex tot animarum redemptione, quæ Deum æternis laudibus efflentes, quam de meæ unius salute. » PENNEQ. in *Isagog.* p. i. c. xviii. n. 6.

Florum amenitas utiliter considerata.

Anno circiter 4280. duo viri nobiles, quorum alter Carolus, (qui postea Abbas Villariensis sanctitate celebris Padum istud illustravit) alter Gerardus vocabatur, ab equestri hastiludio, quod torneamentum vocant, Wormatia Moguntiam iter cum relegerent, et longo tractu prata vernantia, variisque floribus inspersa occurrerent, convenerunt inter se de silentio servando toto illo tempore, quod amicitias illic oculis illuderent; ac deinde quibus interea temporis cogitationibus animum occupassent, utrumque se communicaturos sponderunt. Alter ergo ameno illo itinere confecto, vidisse se dixit illis florentibus campis mundi fugientis imaginem, cujus dona delicæque citius deflorescent, quam cito omnis illa agrorum amenitas evanescat. Alter idem sibi, dum illa conspiceret, in mentem venisse affirmat; neque hic hæserunt, sed mutuis ad amorem æternorum colloquiis accensi, votum de deserenda vita libiore, etiam agenda monastica emiserunt, qua scilicet sine impedimento vacarent amori pulchritudinis nunquam peritura. Refloruit nimirum ex illo florum aspectu in eorum animis fides, et hæc suis flammis voluntatem accendit. Adeo verum est, pium silentium Dei cognitionem acere, et ob-excitatum

amorem sanctum in animis nostris incrementa capere longe maxima. Idem c. n. n. 2.

Lectio fructuosa.

S. Augustinus refert, quod, cum duo aulici Theodosii Imperatoris in eremitorio quodam vitam S. Antonii legere expissent, unus illorum adeo immutatus sit, ut coniectis in amicium oculis eum ita compelleret: « Dic, quæso te, omnibus istis laboribus nostris quo ambibus pervenire? Majorne spes nostra poterit esse in palatio, quam, ut amici Imperatoris sinus? Et ibi quid non fragile, plemerique periculis? Et quæmidem istud erit? Amicus autem Dei si voltero, ecce nuncio. » Dixit, et eisdem amoris, quo flagrabat, facibus, socii animum accendit, amboque, abjecta rerum humanarum cura novæ vite in monastico secessu fundamenta jecit: habebant ambo sponsas, quæ hoc audio etiam ipsæ virginitatem Deo dedicarunt. S. AUG. l. VIII. *Conf.*

Christus in sponsum electus.

S. Aphra, S. Hilarii filia, quæ 15. Decembris inter sanctos colligitur, petebatur in matrimonium a viro nobili, de quo pater certior factus rogavit, differret in reditum suum, dicens invenisse se sponsum longe præstantiorem, qui e corlo genus, et originem duccret, cujus pulchritudo rosas, et lilia vinceret, cujus ope, et sapientia cæteris antiret: adducturum illum secum, cum ab exilio domum reverteretur; quam ob rem tantisper expectaret. Credit parentis denuntiatione puella, et tam ardentibus illecta promissionibus, omnium procorum ambitioni nuntium remisit, adiuturque præcussit. Redux pater, cum illi hunc sponsum Jesum Christum esse aperuisset, et effusus in tanti sponsi laudes, demum rogasset, an se illi vellet dedicare, annuit virgo, tantaque animi propensione consensum dedit, ut parentem rogaret, id quam primum, fieri posset, executioni mandaretur. Hinc excitatus S. Episcopus precibus apud Deum tamdiu institit, dum filia mortem dulcissimam ad instar somni sine morbo, aut alienjussu doloris sensu ille impetraret, quo amatissimi sponsi complexibus æternum in

caelo frueretur; cumque idem beneficium rogasset filia mater, id etiam S. Episcopi precibus a Deo concessum fuit. *PÆNÆ.* p. 1. c. ii. n. 6.

*Tristitiam per orationem in gaudium
conversa.*

Anno 1585. Hispanus vir nobilis aliejus criminis reus, mandato regis coniectus est in carcerem; ubi in mortis cogitatione timoreque defixus, dum septem menses differretur sententia, ita mœrore contabuit, ut, qui ejus curam gerebant, præ tristitiæ magnitudine moriturum crederent. Ubi tandem intellexit, se ad mortem condemnatum, sibi que in carcere carnificis manu gulam esse frangendam, toto corpore inhorruit, et voce intercepta, suique præ angustia vix compos, post aliquid silentium tandem in suspiria, et singultus erumpens exclamavit: « Ergone mihi carnificis manu moriendum? Ergo laqueo fauces frangendas? O laqueum! O chordam! O que nuntia aures mentemque percellunt! O inferi! Et sempiterna tormenta!» Tres illi concessi erant dies, quibus se pararet ad mortem; hic sanctiori consilio, et celestis gratiæ subsidio ad orationem velut ultimum asylum confugit; purgat se Sacramento Pœnitentiæ, et celesti pane se corroborat: res mira! in hominem alterum prorsus mutatur, timor mortis, horror carnificis, et laquei evanescent; mille vitas optat, ut eas omnes Deo in sacrificium offerat; omnia Martyrum supplicia omnibus corporis membris excipere ardent in votis habet: quin, et manibus oculisque erectis in cœlum a Deo postulat, ut benefici loco supplicium suum proreget, tortoris manum præ turbatione aberrare pernittat, ac sepius intercidero, ac prolabi, ut vel annum integrum imperfectis strangulationibus disruciatur, mortemque non inveniat; et qui paulo ante tortorem, et laqueum exhorruerat, nunc a centum licitoribus ligari, et per urbem cum ignominiosis proclamationibus circumduci impense desiderat: nocte integra ante diem supplicio destinam voluit sibi manus, et gulam laqueo vinciri, ut tanto diutius hoc Dei, ut aiebat, beneficio frueretur; denique qui prius ad solum inferorum nomen contremiscebatur, iam tanta fiducia in Deum, et pace fruatur, ut dicat, videri sibi a divina misericordia calce, et cemento inferorum

portas oclusas, et quem tristitiæ magnitudine moriturum credebant, tanta nunc exundat lætitiâ, ut dicat: « Si, cum peccata mea defleo, tantis incesso gaudiis, quantis brevi, ubi Dei conspectu frui debetis, perfundar? » Ejus verba, et voces ita in Dei laudes, et gratiarum actiones ardebant, ut admirabiles in adstantibus excitaret motus animorum. Exauditus fuit a Deo in eo, quod tortorem attingebat: ille enim, dum gulam frangere conatur, animo perturbatus, dum vix advertit, quid agat, quartam fere horæ partem in eo ultimo funestoque actu posuit; reo interim tam sereno vultu constantia omnem hanc carnificinam excipiente, ut nec pedem, nec manum, aut aliam partem corporis moveret, nec verbo querelam proferret, astantibus ad tantam patientiam, et tranquillitatem stupore defixis, et nominatim patre Aria, qui spectabat, et morientem in hoc ultimo certamine juvabat, quique hæc omnia litteris ad posteritatis memoriam consignavit; ut, quantum habeant mortales in humili, et perseverante, ac fidei oratione subsidium, agnoscerent. *Idem.* p. 3. c. ix. n. 4.

Mira Bonaventuræ Monialis conversio.

Maria Bonaventura Sanctimonialis in turri speculorum ex Sanctæ Franciscæ Romanæ sequaciibus virgo nobilis, uti ceteræ ex eodem contubernio, indolis generosæ, ad res spiritus utriusque studium accurandum parum propensa, dummodo culpas graves vitaret, reliqua hominum judiciis, honorisque estimatione metri solita, ad secessum, exercendumque sacris commentationibus animum, ægre inducta fuit; que tandem totam se ad spartam illam excolendam, Deo, et uni de Societate, a quo dirigeretur, meditando alioquin insueta fortiter obtulit. Vix primas considerationes de fine hominis, et mediis ad illum finem obsolverat, cum divino igne successa Directori suo dixit: « O Pater, non est ultra Deus irridendus. Video, quid a me exigat: volo ex integro ejus esse, totisque viribus incumbere, ut ad ejus majorem gloriam brevi non qualicumque, sed magna sancta evadam. » Deinde scripto manu propria exarato coram Deo protestata est, se nullum deinceps præter ipsam amare velle; nuntium omnibus rebus creatis mittere, tam-

que pura intentione ejus voluntati morem gerere, ut, si post vitam ejus obsequiis impensam ad inferos detrudere vellet, nihil contra obtineretur, hoc solum optans, ut in se divinum beneplacitum impleretur; quod scriptum manu sua signatum lateri Crucifixi inseruit, ac pari deinceps passu in reliquis progressa, omnibus divinis monitionibus etiam in rebus difficillimis paruit, lingua sensuumque diligentissimæ custodiæ incubuit, cogitationum evagationes cohibuit, sui fere semper victrix, et minimorum lapsuum, quantum potest infirmitas humana expers, ad cruce, que se offerebant, excipiendas animosa, nunquam querula, nec levamentum querens; de alienis erratis nec inquirens, nec sermones miscens. Colloquia cum secularibus, quantum necessitas permisit, omnia declinavit; de verbis mordacibus contemptuque inde proveniente parum sollicita; omnibus reculis se spoliavit, etiam imaginibus, reliquiario, ac Crucifixo argenteo; siculo, et corios aliquas dumtaxat reliquias inferens, quas collo gestaret; secessu absoluto, et exercitiis sine imposito, illum, quem jam descripsi, in actionibus suis, quas altissimo charitatis sine dirigebat, usque ad mortem (quam anno post sanctissimo obiit) cursu tenuit: aliorum verba contemptusque, uni Deo placere studens, semper flocci fecit, bis quotidie flagellis se verberavit, bis, dum ægrotis inservit, ad exemplum S. Catharinæ Sennensis aliorumque, ex ulcere manans sorbuit, ita sui domina, ut nihil cum anxietate expeteret, nihil cum animi perturbatione pertimesceret; imo in rebus adversis, injuriis afflictionibus verbo vel facto irrogatis gestiret præ lætitiâ, et majores optaret. In ultimo morbo diem illum benedixit, quo ad exercitiâ faciendâ secesserat, quod tum demum clarius perspiceret, quantos inde fructus collegisset; addebat, si sanitati redderetur, se mensibus singulis illa repetere, ac iterare velle. Obiit denique sanctissime, tum beneficiis in aliquas Sanctimoniales ex earum voto collatis, tum celestis revelatione Virgini sanctissimæ facta cognitum est, quam eximia in oculis beatitate frueretur, ut merito de illa dici possit; Consummata in brevi explevit tempora multa. *PÆNÆ.* *Christ. sr. de secessu confid.* i. n. 8.

*Admiranda peccatoris obstinatio graviter
castigata.*

Dum S. Franciscus Borgia iter haberet per aliquid Hispania oppidum, intellexit virum nobilem de vita periclitari, et tamen nolle confessione, et accusatione peccatorum se ad mortem disponere; positus Pater ante Crucifixi, quam secum ferebat, effigiem genibus, Christum suppliciter rogat, vellet homini misero succurrere. Audivit Christus ejus preces, dixitque, iret ad ægrum, se in habitu medici compariturum; et dum ad confitendum peccata hominem inducere conaretur, simul opem se laturum; quod et præstitit, quamdum Pater hominis pertinaciam frangere, et confessionem persuadere nisus est. Quod dum frustra sit, disparuit, et paulo post etiam Pater domum repetit, atque ibi ante Crucifixum prostratus ardentius, quam ante, deprecatur, sibi que salutem anime istius donari efflagit. Tum ad illum Christus: « Ut videas, inquit, quam miseri istius hominis salus mihi cordi sit, vade, et me in effigie ad illum defer. » Redit itaque ad ægrum Pater, et Crucifixi effigiem ostendens, per immensam, quam ejus causa Christus in cruce moriens testatus est, charitatem, illum etiam atque etiam rogat, ut beneficio sanguinis pro se effusi uti velit; dumque ille non flectitur, ecce omnia Crucifixi vulnera sanguine manare incipiunt, et Christus ipse voce intelligibili in medium adserens ea, que pro ejus salute passus est, monet, ut in bonum suum ea convertat: cumque hic in pervicacia perseverat, tum avulso a cruce brachio, sanguinem e latere suo defluentem manu corriprensus, illum in ejus faciem projicit dicens: « Quandoquidem in tui salutem hoc sanguine uti non vis, sit ille tibi in condemnationem; » tum miser blasphemans continuo expiravit. *Idem disert.* ii. n. 2.

Gravissima tentatio fructuose tolerata.

Supra nominata Catharina Bononiensis uti sanctitatis, et gratiarum miraculum fuit, ita pro Dei amore certaminum theatrum incomparabile, occasionem præcipuam dedit levis culpa, et occulta presumpcio. Aggressus erat illum Diæmon, et cogitationis ejusdam im-

portunitate perturbare ejus animum conabatur; cum illa id advertens, Dæmonique insultans dixit: « Artes tuas novi, non poteris deinceps tam subtiliter tentationum tuarum telam contra me ordiri, quin ego illas deprehendam. » Displacuit hæc animi presidia amatissimo ejus sponso Jesu Christo, utque illum puniret, purgaretque, et ad profundam animi demissionem experientia infirmitatis propriæ adduceret, laxavit habenas Dæmoni, permisitque ut illum occultis machinis, et fallacibus visis, dietsque in fraudem adduceret, quod tanto fecit artificio, ut illa mœrore prope confectam de statu mentis quodammodo dejiceret. Induit aliquando formam Deiparæ, et blande Catharinam compellans dixit: « Abjice a te vitiosum amorem, et purum atque laudabilem cordi tuo inferam. » Crediti illa vere esset Beatam Virginem, quia tum temporis ab ea supplicii prece flagitabat, sibi a Filio Dei amorem impetraret. Itaque statuit apud se amori proprio strenue bellum inferre, ac presertim voluntati, proprioque judicio per obedientiam frænum injicere, ut se commovere non auderet superiorum injussu: (erat ex Ordine S. Claræ) Dæmon ex adverso contra res a superioribus injunctas ingentem cogitationum multitudinem continenter exuscitat, et vel exiguæ morulæ inducias non concedit. Illas a se abdicare virgo dum conatur, operam se perdere videt, superiorem adit, bellum intestinum aperit, veniam humi prostrata humilime postulat: sed frustra omnia, cogitationes, et judicia contra obedientiam Dæmon exaggerat, inde perturbatio animi anxietates, tristitiæ, pusillanimitates, quæ nova apparitione Dæmonis in formam Christi deformati incrementum sumpserunt. Inrepebat illum acriter suppositio illæ Jesus, quod suum sibi cor illa suffurata esset; et cum peteret, qui hoc fieri potuisset, cum esset egentissima, nihilque in hoc mundo possideret, addidit Dæmon transformatus, non esse ita pauperem, ut se jactabat: dedisse se illi tres facultates intellectum, voluntatem, atque memoriam, et illam vicissim per obedientiæ votum sibi illas restituisse, nunc eas ipsam resumpsisse, et in hoc ejus latrocinium consistere. Illa vero arbitrata hoc a Christo dici propter multitudinem cogitationum obedientiam impugnantium, quibus continuo infestabatur, dixit: « Domine, quid hæc in parte fieri a me desideras, cum istæ cogitationes non videantur esse in mea potestate, et invitam occupent? »

Tum deceptorius ille Christus. « Accipe, ait, intellectum, memoriam, et voluntatem, et ne permittes, ut alteri rei se occupent, quam superiorum exequendæ voluntati. » « Qui id faciam, inquit illa, cum illis potentis pro libitu imperitare non possim, et contra voluntatem intellectus judicet subito, et memoria etiam alicujus rei recorderetur. » Imo vero, inquit, larvatus Dæmon, velle tum superiorum voluntati submitte: nihil aliud velis, et nolis, quam quod illi probaverint; res fugitivæ te non remorentur; omni promptitudine obedientiam exerce, et omni actioni punctum aliquod Passionis mee admisce. » Atque his olisque commemoratis evanuit. Interea classicum fortius canit, pugnantique cogitationum acris renovat, tacitis murmurationibus, et alienationibus animi a superiori mentem ejus implet. Illa vero omnia superiori aperire, ad pedes ejus accidere, culpam deprecari, et lacrymis pavimentum spargere, itque tam abundanter, ut deficiente humore aqueo sanguinem oculis funderet: inde arido, et exsiccato cerebro labor oritur iningens in precibus horariis persolvendis; hinc mœror, et perturbatio, qua, quo se verteret, non videbat, adeo ut desperatione imo et insaniam longe non abesse videretur: cum ad sacram Synaxim accederet, horrore conturbatur, etne recederet, manibus prope astantium retinenda erat: Cimmeriis in animo tenebris obsepta videbatur. Durarunt hæc quinquennio, quo toto tempore annulum amoris Dei super omnia actum exercuisse putabimus? imo vero frequentissimos, et herolicos: testantur id sanguinea et illæ lacrymæ, ad pedes superioris abjectiones, et sui accusationes, illud continuum partis superioris cum inferioris in retundendis murmurationibus certamen, quas etsi persentiret, ferebat tamen invita, et pro virili abjicere conabatur: quod ipsum deinde illi apparens significavit Christus, dicens, nullam ab illa inter tot Dæmonis insultus, et prælia culpam admisam; plus meruisse, dum ad sacram communionem cum lucta accesserat, quam si suavissimæ voluptatis sensu perfusa fuisset; quo tamen Deus illam deinceps donavit. Hoc lumine illustrata gratias egit Redemptori suo lumine maximas, quod via tam admirabili per continua certamina, tenebrasque mentis horribiles, tanto fructu animam suam leuipletasset. *Idem* p. 4. c. ix. n. 3.

Contemptus opus laudabilis.

Duo fratres rebus humanis abjectis se intra cœnobium abdidierant. Ibi triennio exacto cum facultate, Prælati in sylvam haud procul a Babylone recesserunt, specusque ibi repertas non admodum inter se disjunctas ingressi illinc herbis, et glandibus victitare cœperunt. Festis tantum diebus simul conveniebant, aliis diebus, etiam dum herbas ad victum querebant, seorsum uterque abibat in diversa, ut alter ab altero semper unum aut alterum miliare distaret. Comes illis, et consolator adesse solebat Angelus. Accidit vero, ut, dum seorsim ita incedunt, alter alterum uno a se stadio remotum videret subsistentem, ac deinde facto signo crucis locum illum ingentis saltu trajicientem, ac si laqueum transiiret, miratus alter saltum, et fugam fratris, lustrandi loci causa progressus, videre voluit, quid accidisset fratri: venit, et invenit ingentem auri æcerum, fusisque ad Deum precibus, exutum pallium auro implevit, et vix oneri ferendum par, magno labore illum in speluncam suam intulit. Inde in urbem profectus, monasterium, ac hospitale erexit, dotavit, ac reliqua in pauperes distribuit, ne denariorum quidem in usum suum retinens: re, ut putabat, præclare gesta, gloriabundus, et fratrem nimis simplicitatis hominem apud se reputans, qui tali occasione ad Dei gloriam uti nescisset, rediit ad cellulam, cum Angelum obvium habuit, qui atroci vultu illum intuens, dixit: « Fratrem ejus plus, auri contemptu, fugaque, apud Deum collegisse, gratiæ, et præmii, quam ipse hospitalis, et monasterii molitione, cæterisque largitionibus esset consecutus: ac quia superciliose fratrem, ut simplicem despexerat, fratris deinceps conspectu, suoque privatum iri: exorato tandem multis precibus, et lacrymis Angeli post septem dies rediit, jussus est ab illo columnam prope Edessam ascendere, in qua post positionem quadragesima novem annis severissime exactam, et terribillam cum Dæmonibus certamina, Angeli iterum conspectu recreatus, et de fratris in cœlo beatitate certior factus, cui paulo post comes futurus erat, diem supremum, totius historiæ serie prius Episcopo patefacta, feliciter obiit. *Idem* p. 2. c. xvii. n. 17.

Quies propria salutis aliorum postponenda.

Alphonsus Roza, ubi plures Indicis laboribus annos dedit, Hispaniam religiosæ quietis ergo sibi repetendam duxit. Jam enim volebat post navatam diu aliis operam, etiam suam ad felicem hinc exitum preparationi vacare. Verum quoties se ad serio meditanda divina componebat, toties præsentem sibi, et spirantem in cruce vulneratum Christum aspiciere videbatur, et simul audire dicentem voce querula, quid demum esset cause, cur se in cruce sic derelicto, suæ potius quieti studeret? Quæ illi visio, quia se repetitis toties vicibus objiciebat, ille ad cor primum, deinde in Indias ipsas rediit, et plures illic annos non sine singulari animarum fructu egit. *PLAT. l. II. de bo. stat. Rel. c. xxxi.*

Salutis alienæ cura a Christo commendata.

P. Didaeus Martinez, Soc. Jesu, coram Crucifixo orans, ut sciret, quo in opere maxime vellet Deus se occupari, fuitque est a Crucifixo retro flectere oculos. Flexit, et ecce Indus in medio conclavi flexus Deo supplicabat, ut sui curam Didæo mandaret, jussitque formata voce Crucifixus, missa ut studia faceret, sequè daret Indorum procurandæ salutis totum. *NADAS. in an. crucis. heb. xlvii.*

Gaudium ob martyrium.

Recrudescente in Japonia bello adversus Christiani nominis cives pariter, ac peregrinos, atque in fidei Magistris savientibus Tyrannis, duo in prima acie depugnarunt viri fortissimi ex duabus Ecclesiæ delectis cohortibus, Minorum observantium Ordine, ac Societate Jesu. Nomen primo Petrus ab Ascensione, Joannes Baptista Machiado erat secundo. Ii cum producerentur, que in vitam cursum maxime læta computarent, amica sermocinatione invicem dixerunt; eodem enim carcere inclusi, instantis jam necis deuntiationem, decantato solemnissimè letitiae

carmine, Te Deum laudamus festis vocibus exceperunt. Mox Petrus sibi gratulabatur, quod tandem auditus esset a Deo, se enim supremis illis diebus hoc unum inter sacrificandum a Deo postulasse, ut pro ejus nomine mori liceret. Machiadas tres sibi dies lætissimos illuxisse narrabat: qua olim Societati nomen dederat, qua captus, et in carcerem abductus, et illam ipsam, qua mortis sententiam exceperat. Illis animis instructi, cum progredierentur, admirationem barbaris attulere, haud satis intelligentibus, unde, hominibus carnificis manu morituris, gaudia subirent. Nimiram ignorant barbari, aeternitatis jam vicinæ aura invitante verno cum risu florere lætias. Ruo. l. I. c. ix. exempl. 4. ex nostr.

Gaudium in martyrio.

Ut ros inter spinas ridere a natura datum est, sic Christianum gaudium inter cruciamenta exultare fatalis quadam gratiæ indulgentia videtur, quod Joanne in Oegilboco maxime comprobatur. Aspice tu illum suæ necis privilegio (et agendus in furcas erat, totaque illi hereses exsaturanda crudelitas) pedes abluentem, atque hilaritate mira noctem piissime traducentem. Intuere oscula ingentem ferali trabi, carnificemque, a quo paulo post deiciendus ac plusquam barbaro laniatu semivivus incidendus in frusta, exenterandus, elixandus erat, acerbissime complectentem, atque dulcissime suavitantem; quem illi animum, quam alienis ab hac nostra mortalitate tentatum gaudis fuisse dices? Hæc vix opinor, intelligent, quibus in lubrico hujus ævi opes, et spes site sunt, haud enim supra homines gaudent, qui nihil supra illos spirant.

Perfidia recusatio fructuosa.

S. Pius V. sancte etiam cum sicariis impertunisque latronibus servandam esse amicitiam arbitrabatur. Marianus quidam erat Asenlanus latronum ductor, magni per cædes, et scelera nominis, qui cum impune per agros volitaret, sparsoque late meti Pontificiam ditionem sollicitam teneret, nec ulla urbani Prætoris diligentia, quamvis submissis militibus, homo cautus, et ferox comprehendi

poterat. Sed amicorum unus se, si argentum daretur, proditurum pollicitus. Præterem per internuntios convenit, facile hoc sibi esse, si se uno familiarissime uteretur. Sed Pius violari qualem demumque amicitiam rem longe indignissimam ratus, perdidit hominis opera uti præterem vetuit, sperare si sine alio cuius scelere, homini scelerato demum posse puniri. Rescivit hoc latro, et principis reverentia captus, Pontificis ditionibus excedens, dimisso suorum globo voluntarium abijt in exilium, pacemque provinciis reddidit; faciliorem, expertus principis justissimam indignationem, cui caput crederet suum, quam perdidit hominum amicitiam, qui illam commodo suo cultum venalem haberent. *Ib.* l. IV. c. xx. n. 42.

Mascula matronæ constantia.

Nova inter majestatis læsæ crimina, que ab hæreticorum injuria prodierunt, Sacerdotum Catholicorum hospitium, atque amicitia, ut prægrande scelus continetur. Hujus rea quum Margarita Mideltonia perageretur quamvis dirissimis vexata minis atque suppliciis; indicium tamen peragere, constantia plusquam matronali viriliter abijt. Ergo ab Huntingtono Comite, quem hæresis efferebat, peracuto lapide genibus subdito, injectaque tabula mille pondo superimposito, dirum in modum, novo tormenti genere, tota eliditur, atque conteritur. Cum duceretur, auferentque minis atrocibus instantis jam necis acerbilatem, illud unum repetebat: « Sive hoc, sive alio mortis genere hinc abeundum sit, æque brevis ad cœlum via. » *Ib.* l. V. c. xiii. n. 8.

Fundatio monasteriorum plurium.

Carolus Magnus fundavit tot abbatias, et quidem largis redditibus, quod litteræ sunt in alphabeto. Et harum abbatiarum singulis unam ex alphabeti litteris nominis loco imposuit. JOAN. VILLAN.

Fidei Christianæ æstimatio.

In China latrones invasere, et expoliates

occidere viatores capitibus amputatis; erant latronum decem qui post turmam viatorum ita occisam, etenim erant omnes gentiles, tandem, et Christianum invasere, cui eum e manica, præter alia spolia, rosarium quoque extraxissent, rogaverunt, quid illud esset? Christianus se Christianum esse, respondit, ac rosario se Deum coeli colere, ac invocare. Ubi audierunt, eum esse Christianum, omnes in eum conversi, propius eum considerabundi accedebant, ac ei bene precabantur, invidentes illi, ut dicebant, innocentem vitam, cujus ducendæ gratiam a cœlo accepisset; quod si haberent, unde vitam tolerarent, statim se, deserto la trocinio, Christianos fore. Eum igitur humanissime, ac blande habuere, ut rem sacram, rogaveruntque pro pignore sui desiderii, vellet sibi rosarium relinquere. Atque ei, cæteris omnibus occisis comitibus, vitam servarunt. *BAREL. in China.* b. iv. f. 1604.

Baptismi virtus in corpore.

In quodam pago regni Junquinesis, Kecooy dicto, gentilis aliquis admodum supersticiosus, graviter egrotabat, quo in morbo a Dæmone dire fuit exercitatus: modo enim manus ejus retro ligavit; modo capite deorsum demisso, eum e trabe cubilis a pedibus suspendebat: alius eum extra domum violenter foras raptabat, et multis modis dire affligebat: ut tamen ipse Dæmon nulli videretur. Accurrentes aliquando ad ipsum Christiani, Deum pro illo orabant: inter quorum preces, et lacrymas æger mirabile ostentum vidit. Matronam spectabat plenam majestatem, qua lectulo vicina, manus pectori ejus imponebat, ubi præcipua doloris sedes fuit, et resistit. Tum in throno confidens elegantem librum manu tenebat, quem eum jubebat capere, ac legere. Accepit ille, et intellexit, librum esse fidem Christianam. Ita visio illa desuit. Ipse statim baptizari petiit, et præmissa brevi catechesi, celeriter, ut agritudine videbatur postulare, baptizatus est; uti, et uxor ejus ante obstinatissima. Æger accepto baptismo, statim totus convaleuit: qui palam facturus, quam serio Christianus esset, magicos omnes libros, ut putabat quidem, exussit; sed quadam die, cum omnium minime cogitaret, stabant ante ipsam duo viri horrido, ac nigro vultu, qui furore pleni dicebant, se ab ejus domo prius non abscessuros, quam desineret magicum librum domi asser-

vare. Hoc dicto stetero immoti. Neophytus tremens, domi angulos excuifit, reperit tandem in recessu quodam involutum chartæ magicas artes continentis, easque confestim exurit. Tunc duo illi Æthiopes illico evanuerunt, terrorem maximum in Neophyti animo relinquentes. *IN PELAT. Miss. Jap.* 2619.

Fervor in Christiana fide amplectenda.

Paulus Mandarinus in regno Junquinesis columna fidei in eo regno, cum esset juvenis, erat regi senioris percharus, et hodierno etiam nunc regi, cujus in ludis, et exercitiis comes fuit, et socius. Eo jam adulto, et conjugato, cum P. Alexander Rhodensis in quadam aula regie domo prædicaret, filiola Pauli a Deo mota casti in concionantem incidit, quo audito, baptismum petiit, et accepit, Agatha vocata. Et quia erat accensa siti rerum divinarum, eum altera Thecla, copit P. Alexandrum sequi, toto enim die extra paternam domum erat. Reversa in domum, si rogaretur a patre, ubi fuisset, respondit, se euidam reginæ de se bene merita inservisse, et intelligebat fidem Christianam, quam audiendo conciones perdiscebat. Tandem pater voluit puellâ piam fraudem detegere; quare die quadam eam clam insecuturus, ubi P. Alexander prædicare solebat, a tergo illi fuit, et male verberibus exceptam acriter increpuit, illa patienter tulit utrumque; sed ubi a patre se vidit liberam, elapsa domum penetrat; sequitur pater. Sed quia concio coepit, noluit tumultum excitare, quare, et ipse auditor initio invitatus adstat, sed singula verba in eo fulmina erant, et jam totus ardebat, et primum signum permoti animi fuit erumpens eum lacrymis planetis. Ad finem concionis alta voce baptismum postulavit. Sed P. Rhodensis asserens, præcedere debere instructionem, filiam ei pro magistra tribuit. Pater magna modestia audivit filiam magistram non minori ardore docentem: quo exemplo utrinque tota familia baptismum expetiit. Neque post multos dies magna solemnitate, et gudio Christianorum, pater, et filia baptismum fuit donata. Erat ante Paulus admodum Bagodibus addictus, quibus templa struxit, magnam partem suis sumpibus; sed nunc Zacchei instar in Christum fuit liberalios, proxime aulam struxit Christo templum, quod eum aliorum mater ob magnitudinem,

et majestatem partes habet primas. Ad quod festis diebus ad tria, et quatuor millia conflunt, et tunc mensam habebat omnibus acceptam. Addidit campum non procul a templo sepulchre pauperum Christianorum destinatum. In domo ejus et multa sacella elegantier ornata, et depicta, plena libris piis, quorum lectioni presertim junior fuit valde addictus. Mira fuit ejus constantia in adversis; quæ quidam e suis male moratis filiis ei creantur; nec minori exemplo fuit in supremo morbo: quem ubi vidit sibi plane esse supremum, magno pietatis exemplo voluit se in lecto ad templum a se structum deportari. Cujus facti tres rationes afferbat. Primo, quia templum proprius esset cælo. Secundo, quod ibi mori vellet, ubi toties adorasset Deum, et in cibum Creatorem suum sumpsisset. Tertio, ut minori incommodo Christianorum posset visitari, majori vero suo commodo, cum ipse locus invitaret ad Deum pro se orandum, cui pia colloquia. Versabatur inibi totum diem in exercitio actuum pulcherrimorum, virtutum variarum: nunc orabat, nunc legebat, aut legenti attendebat, nunc filiam suam varie hortando. Quotidie prope inibi Missam audiebat, confitebatur, communicabat sæpius. Rogatus a Patre superiore, num timeret mori, respondit, se omnes cum Deo rationes composuisse, nec aliud quam mortem desiderare. Duobus mensibus tenuit eum morbus ille. Tandem 2. Octobris sancte obiit, natus annos, 74. a Baptismo anno 22. *Ibid.*

Neophytorum Japonensium fervor.

Cum P. Hieronymus Majorica, Neapolitanus in regno Tunquinensi aliquam ejus provinciam visitaret, venit ad pagum, quo tempore celebris magus eodem appulit, cujus maleficis etsi aquæ pluvie ita deciderent, ut viderentur omnia aquis mergenda, fuit tamen tantus fervor Christianorum, post plurimum dierum continuam pluviam, ut, etsi aqua in foro ad jugulum usque incenditibus arsurget, viri tamen, et feminae, et harum multæ cum infantibus brachio sustentatis, summa hilaritate, et fervore advenirent ad templum, quod etsi capax, vix tamen adventantes caperet. *Ibid.*

S. Augustinus per mortuum ad penitentiam monet.

Neapoli accepimus 1649. quemdam animo enecandi exploso scopeto; tantum pertrinxisse Principem de Avellino, sicario ab ejusdem famulis tribus globis interfecto. Is sepultus est in templo Sancti Augustini, fossæ impositus altiori, et ponderis majoris superimposito marmore. Noctu hic vocem audit, quæ nomen ipsius inelamarat, jubebatque prodire. Ad quod considens, et plura cunctans cadavera, senem venerandum viderat adhortantem, ut exiret: sed cum alter vulnera causaret, brachiis presertim inflicta, instiluit senex, sanitatem pollicitus, et opem. Igitur sanus surgit, et amoto lapide prodit. Tum alter se esse S. Augustinum, cui dicatum esset templum, professus, mandavit, Principem de Avellino adiret, diceretque, ni vivendi rationem mutaret, desereretque pravas consuetudines, brevi vindicem Dei iram sensurum: quibus dictis evanuit. Alter pulsata sæpius sacristiæ janua sacristanum tandem excitavit: sed ad illius conspectum, quem heri tumulaverat, territus fugit; dum ad alterius preces redux, rem omnem ordine intelligit, summo emendavit, vivo isto e mortuis monitore in ejusdem deinceps palatio commorante. SCHIRMBECK in notat. p. 2. fol. 471.

Concordiæ amor.

Sanctus Franciscus Salesius adhuc adolescens Patavii æger a medicis desperabatur. Œconomus igitur eum rogat, si mori contingat, quid fieri de suo corpore velit? Cui Franciscus: « Omnia charitati tua relinquo, hoc solum expeto, ut, cum expiravero, corpus hoc dissecandum medicis, chirurgis, et anatomice studiosis tradas. Hoc enim mihi solatio erit, me etiam post mortem aliis prodesse posse; nam impediam tunc saltem torixas, tot dissidia, et cædes, quæ inter defunctorum parentes, aut consanguineos, ac medicæ candidatos eventunt. » Tactus enim aliquando non mediocri dolore fuit, cum ejusmodi alterationes ipse inibi vidisset, ubi

deficiente, quem quotannis magistratus dare solitus erat, alicujus rex cadavere, academici defunctorum quorumlibet corpora sepulchris extrahere conabantur; hi vero, ad quos spectabant mortui, armati se opponerent: unde jurgia, cædes, aut lethalia vulnera. LYREUS de imit. Ch. I. VII. c. i. doct. 28.

Spinæ in rosas conversæ.

S. Franciscus Seraphicus, ubi loci sanctitate plectus Sublacum venit, ubi se olim S. Benedictus in spinis volitabat, visis verprium et spinarum frutetis, in solito pietatis ardore succensus, exclamavit: « Istæ non spinæ, sed rosæ sunt; » exinde dumeta attractans, et exosculans, facto signo crucis, in rosarium pulcherrimum convertit divina virtute. Inde verprium illud miræ virtutis rosas produxit, agris salutare. Idem I. III. c. vi.

Reliquiæ mirabiliter exceptæ.

Refert Paulus Morigius, S. Dionysii Mediolanensis Episcopi, quem Constantius Imperator Arianus in Cappadociam ablegarat in exilium, sacras reliquias Mediolanum reportatas, D. Ambrosium obviam illis prodeuntem, atque adeo reserata capsula eas humiliter complexi molentem peramanter salutasse, ac dixisse: « Ave frater Ambrosi; » et a ripa fluminis Adæ ad Basilicam, in qua erant sacra lipsana religiose componenda, stupente populo, multa cum S. Ambros. de fide Catholica, et Christi divinitate colloctos. JOA. FENIQU. Reliq. I. II. c. 1. r. ar. 1.

Reliquiæ sancti Martialis captivos liberant.

Cum reliquiæ S. Martialis Lemovicensis Pontificis ad templum deferrentur, a S. Eligio illi structum, poterant illæ quidem alia via reclusi et compendiosius portari; voluit tamen Sanctus Eligius, ut alia irent, futuri miraculi causa. In via enim illa carcer occurrit, ubi septem captivi tenebantur. Cum igitur S. Eligius, cum sacris reliquiis

illac præteriret, repente bajulus s. reliquiarum gravi onere depressus, solo affixus restitit, neque progredi potuit. Interea captivi lenis tonitruum vocem audire: et statim vis quædam cum magno impetu adveniens, totum ab imo carcerem concussit, et affractis omnibus seris, ac nexibus dissipatis, carcer patuit. Tunc mox iterum ss. pignora jam leviora portari se alio passæ sunt. In Bapt. Signius de Reliq. c. XXXIV.

Corpora Catholicorum miraculose cognita.

Cum Mediolani ob gravem inter Hæreticos et Catholicos conflictum corpora occisorum ita inter se essent permixta, mutuoque in sanguine natantia, ut Catholici ab Hæreticis secreti non possent; S. Ambr. Deum oravit, ut discernendi facultatem præberet, ac indicium. Vix oravit, cum ecce repente omnium Catholicorum corpora divina vi mota sese obvertunt, et supina celos aspiciunt, Arianorum contra cadavera versis in terram vultibus prona jacuerunt. Ad hæc Catholicorum sanguis miracula coagulatus, et in rotam globamque divina vi rotundatus circumvolvitur cepit, ac per totam urbem mirabiliter actus ad S. Stephani Protomartyris templum usque perrexit: ubi a tellure altissima absorptus est. JO. FER. loc. cit.

Frans circa reliquias detectæ.

Vir nobilis, genere Senensis, reliquias de S. Augustino pietatis causa habere volens, Turinam abiit, et a sancti corporis custode multa pecunia voluit impetrare; qui veritus sanctum corpus violare, e cadavere paucis ante diebus defuncti pollicem abscessum illi pro S. Augustini dedit; eum vir ille honorifice habuit. At nocte quadam non plene dormienti Sanctus Augustinus apparet multa luce clarus, et summe frandis, et erroris admonet, ostenditque se digitos omnes habere: hunc autem, quem pio suo acceperit, non esse suum: « Sed ne vana, inquit, sit fides tua, accipe digitum hunc meum; » statimque adeptum dextræ pollicem ei dono dedit, ac evanuit. Multa enim vir ille digito isto miracula fecit. Quod audiens Longobardorum rex sancti corporis custo-

dem in carcerem conieci jussit, voluitque rem penitus cognoscere. Custode vero affirmante, se alterius cadaveris pollicem abscisum patrio viro dedisse, rex, ubi Sancti Augustini corpus asservabatur, locum patefieri jussit; sanctoque corpori dextre pollicem, preterea nihil, desse cognovit. Idem l. l. c. x. a. 2.

Varia nonnulla Sanctorum.

S. Euphrosyna nunquam sedere visa est. Isidorus nil unquam vestis lineæ gestavit. Or. Abbas, et Macarius a baptismo nunquam in terram exspuit. Theonas annis triginta nunquam locutus est. Joannes Abbas annis quadraginta nunquam mulierem, nunquam pecuniam vidit; nec ipse comedens, aut libens visus est. Possidonius nunquam ad dimidium diem injuriæ recordatus est. Paphnutius annis octoginta nunquam duabus tunicis usus. Gaddana toto vitæ tempore nunquam sub tecto fuit. Abbas nunquam cubare, sed vel stare, vel genua flectere consuevit. Acepasimas annis sexaginta neminem unquam vidit, nemini locutus est. S. Joan. Chrysostomum nunquam ulli maledixit. DÆXELIUS p. 3. *Auri fod. c. vii.*

Gentilis cum Christianis vicit.

In insula Cuba Indiæ occidentalis Regulus quidam victorias multas est consecutus adversus finitimos populos, non alia ratione, quam quod usus est Christiano quoniam duce copiarum suarum. Is autem pergebat in hostes, gestans in pectore imaginem B. Virginis, ac profusus illos in fugam versos superabat. Cumque dissensio esset inter Indos, orat præstantiorne foret imago S. Virginis, quam Indicorum deorum, et idcirco ad arma veniretur, convenere, ut in lata quadam planitie duo juvenes hinc inde brachiis ad terga ligarentur artissime, et duo quidem nomine Mariæ ab adversaria parte vinculis constringerentur; duo Indicorum deorum nomine similiter ab alia parte; quorum vero manus sponte solverentur, ii victores essent, ac pro veritate crederentur pugnare. Res ita acta est; et continuo, innumeris videntibus inlaumante Regulo: « Ave Maria, » astitit Matriona mirabili majestate, quæ ad suos appropinquans, et

virga manus tangens, illos exsolvit, solutique ad alios duos ex adverso positos devincendos continuo contulerunt. Quo peracto, visum est idem certamen renovari; ac rursus idem mirabiliter evenit. Hoc passim divulgatum plurimos ad Christum adduxit. EUSEB. NIEMERB. in *Troph. Mar. l. II. c. XLVI.*

Providentiæ divini mirum specimen.

Dum P. Stephanus Fabris in China percurrit missionem Jambien, vidit in flumine hominem stomacho aquis eminentem immotum. Pater a comite querit, quid hoc sibi velit, et num quispiam submersioni proximus sit, qui sua ope indigeat, ne mergatur. Sed alter respondit, hunc esse hominem ob gravissima scelera ad hoc damnatum, ut in medio flumine esset, dum moriatur. Contrita esse illi, et comminuta pedum et crurium ossa, et ipsum insidere saxo. Si quis pietate commotus ei frustulum panis objiciat, inde vitam illi prorogari: prope jam per mensem eum hoc tormento cruciari. Motus Pater commiseratione oculos in cælum levat, et a Deo donari sibi hanc animam postulat adhuc idololatram. Tum aquam ingressus, loqui de æterna salute, ac fide cepit, et quantum necesse est, et tempus fert, hominem edit. Miser ille tandem annuit, et magna signa credentis, et dolentis dat. Tandem Pater hominem in ipso et ex ipso flumine baptizat; et Patre disgresso, alter mox feliciter expirat. BARTOL in *China. l. IV. vel. 1125.*

Mira conversio.

Quidam litterarum in Sinis Professor (quæ est honoratissima inter eos conditio) adeo fuit ferocis ingenii, ut omnes ab eo, ceu rabiosa bestia, sibi caverent. Hic subito præter omnium expectationem ad P. Julium Alenum in provincia Focæi animarum salutem intentum venit, animo Christiana sacra suscipiendi, adeo modestus, ac mitis, ut alius ab ipso videretur. Sed quia fides ei nondum habebatur, ter repulsam, et eam patienti animo tulit. Post paucos dies iterum adest, eadem submissione, adhibitis etiam Christianis fidejussoribus: ubi tam serio causam suam peroravit, ut Patri videretur credi ei posse, ac eum erudiendum sumpse-

rit cum tota ejus familia, jam ante ab ipsomet supplice fidei conciliata. Ipso die baptismi, Pater in amplo conclavi ad id ornato cum ejus cognatis eum opperiebatur; qui insolito apparatu ad baptismum accipiendum comparuit. Dextera faciem accensam tulit, et sub sinistro brachio vestem, quam sibi detraxit, et alia insignia litterati Xuzai, hoc est, Baccalaurei, cujus gradum tenebat. Ita stans coram Patre: « Hic habitus, inquit, licet non sit mearum culparum reus, nihil minus mecum eoque deliquit, quia in eo habitu liberum habui accessum ad Mandarinum, et tribunalia, et dicendi arte abusus, milles injustas causas propugnavi, fecique ex innocentibus reos, e reis innocentes, justitia ei vendita, qui pluris emeret. Nunc autem in omnem vitam, quam modo suscipere paro, hac veste me expolio, ac cum ea gradu litterati, et sponte me abdicio illo privilegio, quo auditus in tribunalibus fui, nullamque posthac causam suscipiam, idque tam serio; ac bona fide, ut in omni vita nunquam velim ad hoc studii genus redire, uti nunquam sum hanc vestem deinceps induturus. » Quo dicto, vestes in ignem conjecit. Inde genibus supplex baptismum accepit, Paulus dictus. Post paucos dies, post exactum in vitæ præterite errata examen, majoribus litteris in folio grandi majora sua peccata conscripsit, et e muro ejusdem aulae suspendit, ut omnium, qui intrarent, oculis paterent: ut, qui lecturi essent, ac pessimum ejus vitæ statum cum presenti ab illo tam dispare compararent, intelligerent legis nostræ sanctionem, quæ ita suos sectatores posset immutare. Retinuit autem primum suum munus erudiendæ juventutis, cujus salutem potius, quam doctrinæ intentus, intra paucos menses triginta juvenes ad fidem adduxit. Supra portam quoque suæ domus chartam affixit, in qua majoribus litteris profitebatur, se pauperes gratis docere: quo vix lecto, scholam habuit ita plenam, ut locus discipulorum vix caperet. Prima doctrina fuit de fide: altera lectio exemplum fuit, quo eis præluxit, neque parentes gentiles agre ferebant filios ab eo erudiri: quod schola Pauli ad honestatem, modestiam, assiduitatem in studiis erudiret. Domi, et in urbe passim pro miraculo habebatur, eam juventutem videre; et beatum se credidit, qui filium in ejus disciplina habuit. Idem. l. vi. fol. 881.

Pulli in manu exclusi.

S. Kœnginus aliquando in quadragesima in solitudinem excessit, ubi dum more suo manum per fenestram ad cælum levaret, ei forte merula insedit, et quasi nidum nacta, ova excludit: cui prædictus sanctus tanta mansuetudine, et patientia indulisit, ut nec manum clauderet, nec retraheret; sed usque ad plenam pullorum exclusionem eam extensam teneret. In hujus rei memoriam imaginem S. Kœngini per Hiberniam in manu extenta merulam habent. NIEMERBERG. *demirat. l. II. c. ix.*

Fidei ardor.

Sancta anus in Japonia septuaginta octo annos Christianæ fidei retinens parvulam crucem capillis clam invexit, et ut lateret, omnium criminum comptura, et lotionæ abstinuit, neque ab alia se peeli tolerabat, senectutem causata, quæ eas elegantias negligere. Sed aliquando ejus cognate vi eam pectinarent, et inventa in crinibus cruce, illam ut ream ad judicem detulere, veritate ultima supplicia, si reficerent, et res aliunde innotesceret; vocata ad judices vetula constanter retinuit, et pro eo longis est supplicis cuncta. PHILIP. DE MARIN. in *Miss. Jap. l. I.*

Martyrii desiderium.

Incendium, quod in regia urbe Japoniæ Yendo triduum duravit, anno 1658, Christianis fuit attributum. Et cum Nangasachi inquireretur, num illic essent Christiani, ac multi reperti essent, volebant judices in eos ut incendii auctores animadvertere. Citati, rogatique, fassi sunt cordate, se Christianos esse, nec ulla tormenta formidare; Christianum vero neminem esse auctorem incendii; Christi enim legem esse, bona se pro malis reddere: se tamen etiam sic mori paratos; neque secum extinctum iri Christianos, quorum in regnis Omure, et Arimo essent ad quadraginta millia. Ergo ad cavendos tumultus rem omnem dissimularunt tunc judices, ac liberos dimiserunt. Venere tamen litteræ 1660, nuntiantes, Tyran. Christianos, ut incendii reos, ad decem millia occidisse. Fuit tunc

tantus fervor omnium pro Christo moriendi, ut etiam parvuli carnificibus se ultro ad cadem offerrent, atque voce faterentur, se Christianos esse. *Ibid.*

Hilaris patientia.

Fuit in Japonia senex Petrus nomine octoginta annorum bono zelo, et pietate in Deum plenus, et gratiose sanctus, scriba insignis, ob bonitatem etiam gentilibus charus. Is in persecutione bonis omnibus spoliatus, cum juberetur insuper monetam expoliatoribus suis largiri, illudens illorum prociacitiam dicebat, se monetam esse, si monetam vellent, expenderent se pro quacumque re vellent. Iterum rogatus, ut pro merenda vitulum illum illis daret, ait, se vitulum esse; lixarent se, aut asserent pro libitu, mortem intentantibus respondit, nihil aliud in votis sibi esse; sed tandem, postquam coram iudice etsi iniquo panegyrum de fidei laudibus habuit, liber dimissus est. *Ibid.* c. vii.

Eulalia virgo Hispana, e Merita urbe orta omnibus cruciatibus gravius quam ullus unquam pro Christi nomine torta, cum decimum tertium annum nondum impleret, mirum dictu non verbo quidem, aut ulla lacrymula, donec animam efflavit, mutati animi, aut doloris signa unquam ostendit. B. *Petr.* lib. III.

Scrupulus innocens Neophyti.

Ibidem senex quidam, ardente sua domo, omnium oblitus, cupiebat unam imaginem e charta salvam Christi in cruce inter latrones pendentes. Igitur per medias flammam, cum vero incendium cresceret, et videret, vix a se ilesam imaginem efferri e flamma posse, ingeniose pius, ac sui securus, convolutam imaginem in se omspsit, et deglutivit. Dein Patri nostro anxius queritur, se id sibi religioni ducere; cumque Pater juberet eum securo ac laeto animo esse, mox reversus, ad huc angeli se dicebat: In imagine fuisse etiam latrones; quare timere se, ne cum eos quoque devorasset, malus, et sinister latro aliquid vitii sui sibi affricaret, et similis ei feret. Pater risum non tenuit, et senem optimum amplexus, ait, omnem se illius culpam, si quæ esset, in se recipere: ipse vero bono animo esset. *Ibid.*

Miraculosa loci mundities.

Rogante S. Patricio adhuc puero pro nutrice olim sua ab emptore oppidi cujusdam domino in servitum obrepta, quæ cogebatur scopis officinas omnes intra municipium expurgare, et e stabulis equorum fimum exportare: omnia habitacula illa absque humana manu mundata cernebantur, nec infra, seu juxta fimi alicujus vestigium cernebantur; mirantibus omnibus rem insolentem, nutrix tandem a servitute eximitur. Mansit etiam post ejus discessum miraculum, quod usque in præsens (ait Joceelinus) constat esse confirmatum; si enim infra dictæ munitionis ambitum tol jumenta, quod locus capere potest, ibi aggregentur, nulla ibi fimi particula reperitur. Est autem locus ille celebris in valle Clud. situs, lingua gentis illius Dumbreath, id est mons Brothinum, dictus. *NIEBEM. de nat. mir.* in Eur. I. II. c. XLVI.

Passio Christi fructuose lecta.

Duo familiares amici, alter Clericus et doctus, alter laicus illiteratus, Anachoreta simul facti sunt. Clericus coepit ejus vitæ rigore fatigari, ac reditum meditari; alter contra semper hilaris erat. Cum aliquando convenirent, Clericus alter fidenter mororem suum, et ejus causam exponit; cui laicus diserte e mysteriis Passionis Christi mororem abstersit, ut omnino eum in alium hominem mutarit. Rogat eundem Clericus, unde hanc scientiam hauserit; cui alter: « Liber meus, ait, est Dominicae Passionis, et mortis; in eo triplices quotidie litteras lego, aureas, rubras et nigras; » simulque ad imaginem Crucifixi hominem adducens: « Aurea, inquit, litteræ sunt Christi virtutes, et opera; rubra sunt ejus vulnera, et passio; nigra, justa, et occulta Dei judicia. » *LYREUS de imitat. Christi pat.* l. VI. c. x.

Matrimonium a Christo Virgini imperatum.

B. Lucia Narriensis a Christo amanti specie adhuc septennis puella desponsa fuit, anulo aureo in digitum inserto. Cum ecce idem Virginis Filius eidem imperat, ut illustri ex

Comitum genere adolescenti nubat, mansura virgo. Ita inaudito exemplo virgo voto virginitalis obstricta, a Christo jubetur matrimonium inire: in eo sui, et auxilii divini secunda ligneum Crucifixum medio semper in thalamo posuit. Conjugem, si forte carnis illecebras sentiret, emicans e vultu ejus splendor absterruit, et omnem libidinem extinxit, aut aliis modis eam castigavit, donec Lucia magnis ad Deum precibus Comitum induxit, ut ipse Seraphico Ordini nomen daret. Ipsa vero Prædicatorum Ordini adscripta est. *Ibid.* l. VI. c. xii.

Tunquinensis Ecclesie laus, et fervor.

Non vidit oriens, et quævis alia plaga Indiciæ Orientalis, quam nostris a centum, et viginti annis excolendam susceperet, Ecclesiam magis florentem, et fructu copiosorem: neque sanctitatem magis radicatam, populum sanctiorem, labores magis benedictos, quam quos in Regno Tunquinensi exantlavimus. Abundantior est inibi fructus, quam fuit jaectura in Japonia. In Japonia quidem primis quadraginta annis Patres nostri erant centum et triginta, habebant duos Episcopos, multa Collegia, inter quæ erant, ubi docebantur artes liberales; Seminaria non pauca, ubi educebantur Catechistæ: et tanta cultura toto eo tempore facti Christiani tercentis milleni. Erecta dein templa ducenta. In Tunquinensi regno, spatio triginta annorum, sine Collegiis, Seminariis, Episcopis, ad summum denique a decem sociis, sæpe paucioribus, linguæ illius gnaris, tot ad Christum adducti sunt, ut Japonum numerum superarent. *PHILIP DE MAR. l. 1. de Miss. l. I. de 1663.*

Securitas de rebus ad vitam servandam necessariis.

Joannes Avila Sacerdos, dum aliquando Cordubensibus Ecclesiasticis ostendit exiguum Bibliorum volumen, quod ei semper erat ad manus, incidens in eam Christi sententiam Matt. vii. Querite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et cætera (utique temporalia) adjicientur vobis; asseruit, se ei sententiæ lineam subdidisse, atque ejus veritati securum, fidentemque Christo promisso,

numquam caruisse necessariis subsidiis. « Et mihi aliquando dixit, ait Auctor, si Genueus mercator aliquis opulentus idem illi polliceretur, fidentem Chirographo firmatam traderet in manus, se omnibus ejus necessitatibus provisurum, securum sine dubio fore, neque de re ulla sollicitum; quanto potiori jure, aiebat, sibi fidendum verbis, et promissis Christi, quæ fallere, et transire non possunt. » *Vita p. 2. §. 3.*

Patientia cum doloribus petenda.

Iidem in morbis dicere solebat « Domine auge dolorem, sed et auge patientiam. » Gravior aliquando valetudine afflictus, cum ejus ministri obdormissent, et candleæ quoque lumen extingueretur, et cæcæque doloris acerbitas, noluit illos excitare. Victus tandem doloris vehementia, Deum rogavit, ut se liberaret; paulo post obdormiit nonnihil, et cum evigilasset a doloribus liber, cuidam adstanti discipulo dixit: « O qualem hac nocte alapam mihi infixit Deus! » Quod scilicet a Deo exauditus, plura tolerandi occasionem, et merita amisisset. *Ibid.* §. 5.

Defensio sanæ Deo commissa.

Ejusdem Avila doctrinam in concionibus carpentes apud Inquisitores eum accusarunt, quasi seminarer errores, celo divites excluderet, damnaret inconsulte mortales, et seduceret. Unde jussus est publico abstinere, donec eas criminationes diluisset. Parraga, Dominicæ, vir magnæ doctrinæ et auctoritatis, ei suavitè quidem, ut accusatores injustos recriminaret; hoc enim licere, quemadmodum cogitentem auferre vitam licet occidendo prævenire. At ille nihil omnino pro sua causa egit, Deo et innocentia sua confisus. Absolutus igitur, et ab inquisitoribus jussus est, festo die in eadem, qua prius dixit Ecclesia Principe S. Salvatoris Hispani verba facere. Ubi in Cathedra apparuit, illico turbarum sonitus magnis plausibus, et totius urbis congratulatione exceptus est; sed ille memor consilii a Christo dati, sui sermonis exordium fecit e precum postulatione, rogans Auditores, ut una secum eorum, a quibus fuisset calumnia petitus, Deo emixta salutem commendarent. *Ibid.* p. 2. §. 6.